



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus VIII. De Sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

absolvi : Indicia enim censentur purgata per torturam.

§. 87. Si quis de proprio crimine *Questio* confessus est, solet etiam de sociis *de Sociis* criminis confessio extorqueri; quæ *Criminis.* tamen confessio illis non præjudicat, sed solum facit aliquam præsumptionem; & si concurrant alia indicia, potest sufficere ad capturam. Regulariter quidem *de se confessi super aliorum conscientis interrogari non devent* (18.); id tamen potest & solet fieri, quando agitur de criminibus Reipublicæ valde noxiis & exceptis, uti est crimen læsæ Majestatis, perduellionis, hæresis &c. vel de criminibus, quæ committi non possunt, aut solent sine socio: aut quando alii jam sunt de hoc consortio indicis gravati.

TITULUS VIII.
DE SENTENTIA.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 27. In Sext. 14. In Clement. II.

§. 88.

OMNIBUS rite peractis, citandus *Reus ne-*
est Reus ad audiendam senten- *que con-*
tiam, *vidus,*
neque

18.) C. 1. de Confession.

confes-
sus,

tiam, quæ profetri debet in præsentia & in facie ipsius, a vinculis exempti. Si Reus, qui neque confessus, neque convictus fuit, absolvendus sit, citandus esset Accusator vel Fiscus. Absolutio autem vario modo fieri potest. Inprimis absolvitur quis ab ipso crimine, & a tota causa, tanquam repertus innocens, servatis servandis, factisque defensionibus, per sententiam definitivam, ut sic liberatus non possit de eodem crimine amplius molestari, nisi absolutus esset per collusionem vel prævaricationem, sive cum Judice, sive cum accusatore; nam extra hos casus obstaret Curix exceptio peremptoria rei judicatæ. Secundo absolvitur Reus ab Observatione Judicii, ob Judicem Jurisdictione criminali destitutum, ob ineptitudinem libelli vel Accusatoris 19.). Talis potest iterum accusari.

Vario §. 89. Tertio absolvi potest ex de- modo ab-fectu probationum, indiciorum, qua solvi po- non aliter quam per torturam pur- test, ga-

19.) Vid. CHRISTIAN. FERD. HARP-
PRECHT de Absolutione ab instantia in
civilibus & criminalibus.

gata sunt. Talis posset iterum accusari repertis integris probationibus 20.). Nam Judex in hoc casu potest quidem accusationis abolitionem facere, non autem ipsum absolovere a crimine 21.). Siquis autem absolutus fuerit a crimine deducto in Judicium per viam Exceptionis, posset iterum accusari: nam quæ per Exceptionem opponuntur, si sufficienter probentur, sufficiunt ad hoc, ut quis rejiciatur ab accusatione, vel testimonio ferendo, non autem, ut pœnæ ordinariæ subjiciatur, nisi crimen alio legitimo modo in judicium deducatur. Siquis a crimine civiliter deducto in judicium, forte ad recuperationem propriæ rei, absolutus fuisset, potest iterum accusari criminaliter, nisi fuisset pronuntiatum, quod delictum non fuerit commissum. Absolutus a crimine in foro pœnitentiæ, potest iterum accusari in foro externo. Imo
etiam

20.) Pro hoc casu varias distinctiones ponit PELLEGRINUS Prax. Vicar. p. 4. sect. 17. n. II.

21.) Vid. PAULUS GRILLANDUS de Relaxat. carcerator. Rubr. de Absolutione innocentis. q. 2.

etiam quando delictum est mixti fori
ita ut de eo cognoscere possit Judex
Ecclesiasticus & secularis, potest ab-
solutus vel punitus in uno foro, ite-
rum accusari & puniri in altero foro
quando a primo Judice non sufficien-
ter fuisset punitus; quia cum diver-
sæ pœnæ imponuntur per diversa
leges, una non tollitur per aliam 22.)
Si autem aliquis Judex imposuit pœ-
nam mitiorem, quamvis puniri pos-
set graviori pœna, non tamen pro-
pterea poterit alius Judex majorem
vel minorem pœnam eidem irrogare
pro eodem delicto 23.): imo Judex
in condemnando mitiorem pœnam
eligere & præferre debet 24.).

Aut con- §. 90. Si sententia feratur con-
demnari demnatoria, longe major, quam in
si est pr- causa civili, diligentia adhibenda est
sens: in examinandis probationibus & ex-
ceptionibus oppositis per Reum, ne
imprudentiæ & præcipitationis notam
in-

22.) C. 2. de Maledicis. C. 5. §. per hoc
quoque. de Poen. in 6. SCACCIA de Ju-
dic. lib. 1. c. 12. n. 81. seqq. GUAZZINI
Defens. 2. c. 7. & Defens. 35. c. 11.

23.) Vid. BOERIUS Decif. 289.

24.) L. 42. ff. de poen. C. in pœnis. & C.
odia. de R. J. in 6.

incurrat Judex. Si certa pœna in Jure Canonico non est imposta, potest Judex Ecclesiasticus imponere eam, quæ Jure Civili est statuta, modo Jus Canonicum illam non prohibeat. Ubi in Criminalibus conceditur Appellatio 25.), executio suspendi debet per decendum, quo tempore posset Reus appellare, nisi sit convictus simul & confessus; vel confessus solum, ita tamen, ut confessionem suam non revocaverit: talis enim nullibi potest appellare. Unde Judices sub pœna prohibentur 26.), differre executionem sententiæ, nec tolerare *provocare convictos, vel appellare confessos*, etiam sub obtentu intercedentium Episcoporum, Clericorum aut populi. Si contra Reum Clericum statuta est Degradationis pœna, privatur ille legitima executione

-
- 25.) A Judice, merum tantum Imperium habente ad Dominum Territorii, in Processu accusatorio & inquisitorio, extra Saxoniam appellari posse, tradit BERGER Elect. Jurisprud. Crimin. part. 2. observ. 91. ad quæst. 5. Clariss. D. SUTOR Elect. Jur. & for. concl. 21.
- 26.) L. 31. Cod. Theod. quor. appell. non recip. lib. II. tit. 36.

tione ordinum & graduum Ecclesiasticorum, quæ est *Degradatio verbalis actualis* vero est executio depositionis verbalis: executio autem actualis degradationis fit tradendo Reum Curiaæ seculari, de quibus infra, ubi de Pœnis.

Absens potest etiam in contumaciam condemnari: §. 91. Hæc de Reo præsentem dicitur. Si autem per contumaciam absens, debet imprimis constare corpore delicti, & ordinario modo contra ipsum procedi, præviis in iudicio, diffamatione, citatione, cuiusmodi seritur tota series delicti, de quo inquiritur: sola enim contumacia non facit, ut absens habeatur pro confesso, quidquid de statutis & moribus variarum Provinciarum passim dicant Autores. Si igitur post repetitas citationes Reus non comparere declaratur contumax, & ponitur in bannum, quo nomine intelligitur pœna, qua Reus perpetrati criminis ob contumaciam in comparendo coercetur proscriptione ex Provincia, juxta praxin variorum Tribunalium 27.). Habitis autem plenis præ-

27.) De Banno delicti & contumacia agit ANDREAS GAILL de Pace p. 100.

bationibus, potest contumaciter absens etiam definitive condemnari, cujus sententiæ executio nonnunquam fit in effigie condemnati 28.). Audiendus tamen erit, si præsens vellet innocentiam suam probare, & probationes accusatoris elidere.

§. 92. Si in contumaciam condemnatus, veniat in manus Judicis, in primis instruitur Processus super identitate & recognitione personæ ipsius: nec obstaret, si deprehendatur, ratum fuisse in Processu informativo circa nomen, vel patriam ipsius, modo constet, hunc esse eundem, de quo Inquisitio fuerat instituta. Si autem plena haberetur probatio criminis, non deberet propria ejus confessio extorqueri per torturam. Unde si hæc adhiberetur super manifestatione sociorum, receptatorum, vel aliorum criminum, deberet præmitti protestatio, quod Judex per interrogationes subsequetas non intendat præjudicium facere sententiæ ex plenis probationibus latæ, notorietati
cri-

toto lib. 2. HAUNOLD de J. & J.
tom. 6. in fin.

28.) JOAN. ANDR. FROMMAN Dissert. de
Execut. in effigie,

criminis , aut ejus confessioni ex statu-
 tuto propter contumaciam inducta.
 Cavebit igitur Judex , ne Interroga-
 tiones misceat , ipsum crimen prin-
 cipale , de quo in contumaciam con-
 demnatus est , attingentes : nam
 juxta multos Autores censeretur Ju-
 dex a sua protestatione recedere ; &
 Reus , si in tortura negaret crimen
 ac in negativa persisteret , cense-
 tur crimen per torturam purgasse ,
 saltem quoad pœnam ordinariam 29.)
 Ceterum quamvis varia Statuta ve-
 lint, ut qui contumaciter absens con-
 demnatus est, post præfixum aliquem
 terminum , non amplius audiatur,
 nisi per evidentiam facti innocentiam
 suam probet : nihilominus id solum
 intelligitur de ordinaria potestate
 Judicis inferioris , qui inconsulto
 Principe non potest revocare sen-
 tentiam definitivam ; nam si recurritur
 ad Principem , hic potest conce-
 dere novas defensiones , ut talis in
 contumaciam condemnatus, non tan-
 tum per evidentiam facti , sed etiam
 per

29.) De hac re late agit FLAMINIUS
 CHARTARIUS tract. de Execut. sent.
 contumac. cap. 2. n. 57. seqq.

per ordinarias probationes possit ostendere innocentiam suam 30.)

§. 93. Absolutis omnibus, solet *Sententia* Promotor Fiscalis instare pro executione sententiæ. Ubi notandum, quod *executioni* nullus Judex possit exequi sententiam, nisi videat Processum, ex quo *est.*

formata fuit Inquisitio, & ex qua ad dictam sententiam processum fuit. Nam per solam sententiam non dicitur constare de crimine, cum ex ea non constet, omnia rite processisse, & servata fuisse servanda. Unde Judex secularis Clericum degradatum & sibi traditum non punit, nisi fiat sibi fides de Processu: nam ejusmodi Judex secularis non est merus executor, sed de Clerico degradato judicat tanquam de subdito suo. Excipitur plerumque crimen Hæresis, circa quod Judices seculares absque remissione Processus exequi debent sententias latas ab Inquisitoribus. Si executioni danda est sententia capitalis,

H

talis,

30.) Vid. FARINACIUS de Inquisit. lib. 1. tit. 1. quæst. II. n. 47. §. verum post hæc ubi impugnat rigidiorem opinionem allegati Chartarii.

De Judic. Crim.

talis, sollicitus debet esse Judex de salute æterna rei condemnati: mittendi igitur ad eum sunt Viri pii & docti, qui eum consolentur, ad penitentiam animent, & devotis adhortationibus ad mortem Christianam fortitudine subeundam instruant. Si Reus ex perturbatione animi, vel horrore supplicii ægre pia monita admittat, potius per breve tempus differenda est executio, ne cum dispendio propriæ salutis & cum scandalo aliorum, desperationis indicia præbeat.

Expense Criminales, si Reus condemnatur: §. 94. Facta executione sæpe movetur quæstio de Expensis. Præter ea, quæ dicta sunt in priorè Sectione Tit. XXXII. §. 437. notandum, per *Expensas Criminales* intelligi sumptus Processus Criminalis Inquisitorii & Accusatorii, vel erogatos in executionem sententiæ Criminalis. Expensæ Processus erogatæ in Cognitionem & Decisionem causæ, sunt vel Judiciales, vel extrajudiciales, prout dictum de Processu Civili. Hæc fert ille, in cujus commodum cedunt, vel qui earum temeraria causa dici potest. Unde Testibus sumptus itineris suppeditat, qui eos pro-

du-

duxit: Reus semper refundit impensas in alimenta sua, aut defensionem factas: Actorum exemplum datur, vel transmissio decernitur sumptibus petentis. Reus iuste condemnatus, pendente Inquisitione profugus aut mortuus, ejusque hæredes solvunt expensas omnes Processus; hæ enim expensæ non ad pœnam, sed rei persecutionem referuntur, proin ad hæredes transeunt. Eisdem vicissim expensas præstat Accusator vel Delator calumniosus, aut Judex per injuriam aut ignorantiam procedens, qui sine legitimis iudiciis incarcerans, vel torturæ subjiiciens, incidit in pœnam Syndicatus. Fiscalis, de cujus calumnia non omnino constat, nullas fert expensas.

§. 95. Si quis ad indicia legitima Si absol-
in carceribus & tortus, nec probatio- vatur.
ne Accusatoris, nec propria confessione reus comprobatur, iudiciis per tormenta purgatis; accusator fert expensas a se factas: accusatus alimenta ex suo persolvit, & carceris squalorem, quæstionumque dolores æqua mente feret; Judex autem ex arario publico ad hos usus destinato

Quæstionum expensas, lictorum sportulas

H 2

tulas

tulas &c. depromet. Ex eodem ar-
rio præstantur omnes reliquæ imper-
sæ Processus in subsidium, si scilicet
Reus vel ejus hæredes non sint sol-
vendo. Curabunt autem Judices, ne
nimii aut frustranei sumptus fiant per
longas moras 31.), taxas, immo-
cas, inutiles informationes e longin-
quo petitas, præsertim in criminibus
non capitalibus. Talem expensarum
excessum Dominus territorialis re-
cere potest in ipsum Judicem consti-
tutum.

Expensa §. 96. Expensas executionis præ-
Executi- stare solet Dominus territorii, aut
onis. Magistratus, nisi hoc onus ex pacto
aut consuetudine devolvatur in al-
lium. Cum enim talis executio ac-
gumentum sit Jurisdictionis superioris,
& consequenter jus præbeat ad
per-

31.) Huc referenda L. 10. C. de Peti-
tione ibi: Provinciarum Præsides moneantur
ut in questionibus latronum, nullum quo-
dragesima tempus, nec venerabilem Pe-
sche diem existiment excipiendum, et
differatur sceleratorum proditio confis-
rum, quæ per latronum tormenta qua-
renda est: cum facillime & in hoc summi
Numinis speretur venia, per quod me-
torum salus & incolumitas procuratur

percipienda commoda Jurisdictionis, naturale est, ut idem sentiat etiam incommoda Jurisdictionis: cum boni publici intersit, ut crimina plectantur, æquum omnino videtur, ut ex collectis publicis ærarium ad istos fines constituatur: ex tali ærario exhibentur etiam sumptus, si examen testium, aut alius singularis articulus committi debet extraneo, vel præter ordinarium Judicem peritiores sunt consulendi 32.)

TITULUS IX.
DE CRIMINIBUS IN
GENERE.

§. 97.

MULTI distinguunt inter Peccata, *Crimi-*
Vitia, Delicta, & Crimina. *num*
Ad evitandam sermonis obscuritatem, hoc loco ea omnia pro synonymis habemus, & potissimum utimur voce *Criminis*, quod constituit

H 3 ma-

32.) Hæc & alia de Expensis Criminalibus continentur in variis articulis Constitutionis Carolinæ Criminalis. Singularem Dissertationem de iisdem edidit BÖHMERUS senior.